T.G. Lebright — 1825.

TRACTATVS
DE MODO
EQVOS FRAENANDI
ALEXANDRI MASSARII
MALATESTÆ ROMANI.

CLARE AC SVFFI-CIENTER EXPLICATVS PRO
MAIORI EQVITVM SATISFACTIONE AC
DOMITORVM INTELLIGENTIA AD EGREGIAM
EQVITANDI ARTEM EXERCENDAM.

CVM DIVERSORVM FRÆNORVM VARIIS
figuris quibus ad præsens omnes bellicosi populi vtuntur, & earum declaratione atq; explicatione vera aclucidissima.

VENETIIS.
ANNO M D. C. VII.

TRACTATVS

DE MODO

EQVOS FRAENANDI

ALEXANDRI MASSARII

MANTUANI ROMANI.

CLARE ACSVFFI

CLENITER EXPLICATVS PRO

MAIORI EQVITVM, SATISFACTIONE AC

CVM DIVERSORVM FRENORVM VARIIS

figuris quibus ad praxeos omnes bellicos populi vtuntur, & earum declara-

tionis atq; explicationes vera ac lucidissima.

VENETIIS.

ANNO M D C VII.

AD

RVDOLPHVM II.
CÆSAREM, AC INVI-
CTISSIMVM ROMANORVM
IMPERATOREM SEMPER AVGVSTVM.

CAROLVS MAGNVS ET CAROLVS Maximus immortales & glorioſiſsimi prædeceſſores S. C. M. V. non ſolum equitandi exercitio maximè fuerunt dediti, eiusq; artis peritos maximo ſunt proſecuti fauore: verum etiam ex omnibus ditionibus ſuis requiſitis magiſtris, id vnicè fuerunt intenti, quod ad conſeruationem propagationemq; generoſorum ſtirpis Equorum faceret. Hoc, inquam, maximæ majoribus S. C. M. V. laudi ceſsit. Vnde & Carolo Maximo Quinto Equos agitandi peritia, immortalitatis, inter alias maximas ac ſtupendas res ſuas geſtas, cauſa fuit. Tanta enim (Iouio teſte) maieſtate & gratia in Equi agitatione excellebat, vt mirum Equitibus ac Spectatoribus applauſus ac delectationis occaſionem daret. Hac ego propenſione ac clementia anteceſſorum, S. C. M. V. in hoc Equitandi exercitium, fretus, hunc meum tractatum, quem non leue adminiculum ad Equos domandos ac in ordinem redigendos allaturum confido, ad S. C. M. V. pedes quàm humilimè deponere non dubitaui. Nec momorum aut cauillatorum me terret audacia. De innata enim iſta clementia certus, S. C. M. Veſtram ſyncerum autoris animum ſubiectumq; maximè communi vtilitati profuturum, reſpecturam ſpero. Confirmãt me hac in re ſtabula quamplurima, vndiq; collectis referta generoſiſſimis Equis, idq; ad Iulij Cæſaris exemplum, qui inter tot occupationes militares id anxiè curavit, vt ſtabula innumera Equis bello aptis adimpleret. Sunt enim tibi, invictiſsime Cæſar velociſsimi Afri, audaciſsimi Turcæ, pulcherrimi Hiſpani, elegantiſsimi Itali, laborioſiſsimi Sarmatæ, fortiſsimi Germani, quorum proſapia adeò creuit, vt tota ferè Europa ijſdem ſcateat, ac quidem ijſdem repleta gaudeat. Venerantur ac obediunt tibi præſtantiſsimi quiq; Equites ex omnibus nationibus ad aulam tuam, quaſi ad aram confluentes, Itali, Galli & Germani, domitores equorum peritiſsimi, ac eorum inſtructores ſolertiſsimi. Idque vnico clementiæ ac fauoris tui innumeri allecti ſtimulo. Adſum & Ego ac naturali devotione, meorum majorum exemplo adductus, hoc meum opuſculum, me meaque S. C. M. V. qua, par eſt, animi ſubmiſsione, offero, conſecro ac dedico. Quod vt clementiſsimo ac ſereno vultu S. C. M. V. ſuſcipiat, quàm humilimè rogo. Deus Opt. Max. florentem, incolumem, invictiſsimam feliciſſimamque S. C. M. V. perpetuò conſeruet.

S. Cæſ. M. V.

humilimus

Seruus

Alexander Maſſarius de Malateſta.

RVDOLPHVM II.
CÆSAREM, AC INVI-
CTISSIMVM ROMANORVM
IMPERATOREM SEMPER
AVGVSTVM.

AROLVS MAGNVS ET CAROLVS Maximus immortales & gloriosissimi prædecessores S. C. M. V. non solum equitandi exercitio maximè luerunt dediti, eiusq; artis peritos maximo iunt proleciui fauore: verum etiam ex omnibus ditionibus suis requisitis magistris, id vnicè curarunt intenti, quod ad conservationem propagationemq; generosorum stirpis Equorum faceret. Hoc, inquam, maxima majoribus S. C. M. V. laudi cedit. Vnde & Carolo Maximo Quinto Equos agitandi peritia, immortalitatis, inter alias maximas ac stupendas res suas gestas, causa fuit. Tanta enim (Iovio teste) maiestate & gratia in Equi agitatione excellebat, vt mirum Equitibus ac Spectatoribus applausus ac delectationis occasionem daret. Hac ego propensione ac clementia antecessorum, S. C. M. V. in hoc Equitandi exercitium, fretus, hunc meum tractatum, quem non leue administeulum ad Equos domandos ac in ordinem redigendos allaturum confido, ad S. C. M. V. pedes quàm humilimè deponere non dubitaui. Nec momentum aut cauillatorum me terret audacia. Data enim ista clementia certus, S. C. M. Vestram Tyrocinum auctoris animum subiectumq; maximè communi vtilitati profuturum, respecturam spero: Confirmet me hac in re fabula quamplurima, vndique collectis retexta generosissimis Equis, idq; ad Iulij Cæsaris exemplum, qui inter tot occupationes militares id auxiè curauit, vt fabula immunera Equis bello aptis adimplerent. Sunt enim tibi, invictissime Cæsar velocissimi Afri, audacissimi Turcæ, pulcherrimi Hispani, elegantissimi Itali, laboriosissimi Sarmatæ, fortissimi Germani, quorum proiapia adeò crescit, vt tota ferè Europa ipsdem scatcat, ac quidem ipsdem repleta gaudeat. Venerantur ac obediunt tibi præstantissimi quiq; Equites ex omnibus nationibus ad aulam tuam, quasi ad aram confluentes, Itali, Galli & Germani, domitores equorum peritissimi, ac eorum instructores solertissimi. Idque vnico clementiæ ac fauoris tui inuumeri allectifimulo. Adhuc & Ego ac naturali deuotione, meorum majorum exemplo adductus, hoc meum opusculum, me meaque S. C. M. V. qua, par est, animi submissione, offero, consecro ac dedico. Quod vt clementissimo ac fereno vultu S. C. M. V. suscipiat, quàm humilimè rogo. Deus Opt. Max. Fore tem, incolumem, invictissimam felicitatemque S. C. M. V. perpetuò conservet.

S. C. & M. V.

humillimus

Seruus

Alexander Mallarius de
Malatesta.

PRÆFATIO
AVTHORIS, DE ORIGINE FRÆNORVM.

PRIMVM ABSQVE FRÆNO EQVITARE CONSUEUE-runt homines, quemadmodum etiam est in vsu apud Æthiopes, Lybios, Mauros, & quondam erat apud Romanos. Verum experientia edocti, se eo pacto regere Equos pro libitu non posse; ligare vel circundare ceperunt rictum seu rostrum fune vel quovis alio ligamine, prout adhuc apud quosdam Asiæ, Palestinæ & Ægypti populos videre est. Quod vbi benè succedere, & ea seratione domare facilius Equos posse præsenserunt, ori & parti debiliori Equi, lignum, cornu, aut ferrum inserere aliqui tentauerunt, vt ei alligato ligamento quovis, faciliûs Equos retinerent, sicut hodie est in vsu apud Tartaros & Scythas. Sed quemadmodum hic modus magis videbatur aptus ad reducendos & ad obedientiã compellendos Equos; Sic etiam cognoscebant os Equi isto modo maximê lacerari et torqueri. Quare voluerunt ferrũ istud solidũ integrũ, fieri concauũ & leue ad succurrendũ ori Equino, quo genere frænorum adhuc hodie vtuntur Cosaci & Moscouitæ. Postea hisce frenis concavis ferreis adjunxerunt certas laminulas ferreas, quas hodie nomine Italico appellamus guardie, iisdemque annexerunt catenulam ferream, quæ mentum cingeret, & Equum magis subjectum redderet, Catenula vulgò Barbazzale dicitur & jam à latinis Pastomis vocatur. Sic quotidiana experientia ipsos docebat, istis dependentibus, tali ferro concauo ori inserto, & catenula mentum cingente, longè melius & facilius Equos reddi obedientes & subjectos, prout adhuc hodie apud Hispanos, Polonos, Hungaros, Persas & Turcas videre licet. Quamvis verum sit Hispanos majori cum judicio ac scientia sua curare fieri fræna: Græci tamen & Itali penitiûs inuestigata & introspecta natura Equorum & qualitate oris ipsorum: existimarunt maxime profuturum, si certa ferrea instrumenta, quos morsus dicimus, ori Equino imponerent, hisque adaptarent laminulas istas ferreas, respiciendo semper ad naturam & vitia Equi, secundum ea & morsus & laminulas seu custodias formando. Hunc eundem modum sequentes Galli, Germani et Angli, quanquã in hoc quodammodo discrepent, quod oribus suorum Equorũ, ferrea quædam instrumenta paruula variè formata ac morsui connexa imponunt, ad succurrendum eo pacto naturæ phlegmaticæ ipsorum Equorum, qui perpetuò mandentes, morsus istos eo facilius extenuant. Cum igitur hic vltimus modus frænandi Equos, à Græcis, Italis, Gallis & Anglis receptus, omnium saniorum judicio sit optimus: Ego hic congerere volui varia genera frænorum recentissimorum, quibus hodie vtimur, & meritò vtuntur exercitatissimi Equites, iisdemque adjungere declarationem suam lucidissimam, (præmissa nihilominus satis ampla qualitatis Equi & oris ipsius, explicatione) vt ij qui legent hunc nostrũ tractatũ, fructũ inde possint percipere vberrimũ: Eligentes hinc & mutantes frena ad vsum suorum Equorũ pro libitu. Observent autem ij Equites, qui non probè hunc modum Equos frænandi mente capiunt, vt simpliciora potiùs, mitiora & leuiora frena ad vsum Equorum suorum sibi eligere studeant, quæ Equi os minus offendunt & cruciãt, sicuti in tractatu nostro docebimus. Verum ijs qui benè & appositè Equos suos frænare curã habent, omninò est necessarium, vt artem equitandi addiscant & peritiorum Equitum correctioni sese subijciant. Quo pacto non solum habitum in hac arte sibi acquirent: verum etiam brevi temporis spacio cum frænandi modum, tum quicquid ad obedientiam, subiectionem & qualitates Equorum pertinet, mentis acumine assequi non difficile erit.

TRACTATVS DE MODO EQVOS FRÆNANDI

ALEXANDRI MASSARI MALATESTÆ ROMANI.

COGNOVIMVS CONTINVIS EXPERIENTIIS, quod in quatuor principales defectus nonnulla capita Equorum incurrere ſolent. Quorum primus & valde vitioſus defectus eſt, caput Equi extenſè eleuatum ad ſimilitudinem galli: aut nimis inclinatum & deiectum correſpondens bovi: & ſimiliter caput extenſum cum facie ſeu roſtro nimis extrà, Cameli geſtum referens: vel caput demiſſum cum facie ſubter contorta vrſi ſimilitudinem porrigens. Ad prædictos igitur Equorum defectus, quatuor etiam ſpecies haſtarum ponemus, ſeu ferramenta vel cuſtodias, quas Itali guardie vocant. Iſta ferramenta ſunt, quæ extrà ab vtraq; parte oris Equi, frænum ſuſtinent, & capita Equorum ad firmitudinem adducere conantur: directum collum Equi & proportionatum, ad æqualitatem capitis, faciunt.

De quatuor defectibus in quos capita Equorum incurrere ſolent.

De quatuor ſpeciebus cuſtodiarum.

FRænum quod & lupatum vocatur, eſt illud, quod intus buccæ imponi ſolet, exquo obedientia Equi facilè aſſequitur. Cum igitur Equus capite nimis eleuato incedit, imponenda ei ſunt ferramenta breuia ſed extenſa, vt caput inferiùs veniat, & ad locum ſuum ſe deducat. Quando verò caput portat dejectum, tum ferramenta longa & extenſa ei imponantur, quæ Calabrica appellari ſolent, vt caput ſurſum erigatur, & in loco debito permaneat. Si autem roſtrum portabit extrà extenſum vt Camelus, debemus eum contortis ferramentis ſeu haſtis antè declinatis retrahere, quæ Italicè vocantur ardite ſeu fortes- Si roſtrum erit inferiùs nimis retortum, tunc imponenda ſunt ferramenta, ſeu cuſtodiæ retrò declinatæ ſeu reuerſæ, quæ vocantur debiles.

De Frano.

DEinde conſideranda venit Equi buccæ qualitas, vt idoneum & accommodatum frænum ei concedi poſsit. Ante omnia verò animadvertendæ ſunt ſubſcriptæ qualitates, quibus non conſideratis, fræna ac cuſtodiæ parui momenti exiſtent.

De qualitate buccæ.

Si Equus defectuoſas ſeu vitioſas vngulas ac coronã pedis morboſam & debilem habebit, talem Equum fræna ac cuſtodiæ (etiamſi ſint conformes & accommodatæ ſecundum qualitatem buccæ, cervicis, & capitis Equi) nihil adiuuabunt.

De defectibus Equorum.

Si morboſa crura, debilia, defatigata, ſubtilia, incuruata, ac declinata erunt in tali Equo fræna defectum non ſupplebunt.

Si dorſum valdè longum & extenſum, humerorum coniunctio plana ac infirma ſit: Scapulas debiles, ac defectuoſas habeat, fræna eũ non benè retinebũt.

Si pectus anguſtum aut valdè ſtrictum, ſcapulæ etiam tales, quæ proportionem ad æqualitatem Equi non conferunt, talem fræna parum iuvare poſſunt.

Si collum valdè eleuatum, aut dejectum, aut craſſum, aut ſubtile aut plenũ, aut reuerſum aut conduratum, aut longum, aut breue habebit, hoc magna cum difficultate frænatur.

Si maxillæ

Si maxillæ valdè magnæ & ſtrictæ ſub collo ſint, Equus per frænum difficulter ſubiugabitur.

Si caput erit craſſum, carnoſum & magnum, talibus fræna malè accommodantur.

Si etiam Equus malè erit ferratus in pedibus, etiamſi bonos habeat pedes, quando ſoleæ illius aſtringunt pedem, non obedietiuſtè per frænum, quia ſoleæ conſervant pedes: pedes verò machinam totam Equi.

De proportione Equi.

MEmbra ac partes Equi debent eſſe comparatæ non ſolum ad benè frænandum, verum etiam pro omni Equi præſtantia, nimirum vngulæ aut cornua debent eſſe magna, ampla, in planta concava, in calcaneo lata & eleuata non contorta, non conquaſſata, non fragilia, non vitriola aut glacialia, neq; ſciſſa neq; lacerata, & ſic coloris nigri fortis & lucidi iuxta taurorum cornua. Crura fortia, duplicia, neruoſa, benè coniuncta, applicata & craſſa. Genua ſint duplicia, craſſa atq; applicata. Brachia extenſa, lacertoſa & firmiſſima. Pectus latum, ſpacioſum. Humeri benè coniuncti, coniunctura verò ſit eleuata & accuta. Dorſum amplum, vnitum cum ſpina concauata duplici, nigro colore veſtita. Scapulæ amplæ & carnoſæ. Crura poſteriora, Italicè anche dicta, non valdè extenſa neq; curva. Cauda craſſa, longa ab benè ſetoſa cum furca concaua ſuper ſcapulis. Corpus non caſtigatum neq; anguſtum ſed ſit abſconditum. Dorſum breve, arcatum collum, elegans atq; mediocre, habile ad voluendum & reſpiciendum totum corpus ipſius. Crines ſubtiles, caput breue, ſiccum & muſculoſum. Maxillæ paruæ & ſpacium inter illas latum. Breues & coniunctæ auriculæ, frons lata, oculi ampli & nigri, nares latæ. Bucca magna ſed non magnæ fiſſuræ: mediocre mentum, non ſiccum neq; craſſum. Labia non craſſa neque pendentia: lingua non longa, non ſubtilis, non alba, non ſicca, non craſſa ſed rubicunda recens & mediocris.

Palatum non valdè arcatum neq; planum. Gingiuæ non ſint carnoſæ, non planæ, non valdè acutæ, non ſiccatæ, ſed parum eleuatæ & rubicundæ cum paruo canale in fundo buccæ.

Sit Equus colore obſcuro cum extremis partibus nigris, ſed cum temperie aliqua albedinis ad ſua loca impreſſa, ſicut in medio frontis ſtella, in ſiniſtro pede poſteriore parum albedinis, albos crines ſuper caudam aut ſuper ſcapulas aut per totum dorſum habeat. Et ſic intelligitur Equus omnium optimus, non tantum idoneus ad benè frænandum, ſed fortiſſimus & elegantiſſimus, in omnibus agitationibus Equiti obedientiam præſtans. Quod ſi aliquæ aut plurimæ ex prædictis virtutibus in Equo deſiderantur, vel etiam ſi in proportione deficiat Equus, tunc arte, diſciplina & exercitio, ſimplicibus frænis dulcioribus, quæ Cannones vocantur, & funib9 qui Capazzones aut chami appellantur, poſſumus eum reducere & defectuoſas partes abſcondere.

De dualus ſpeciebus frænorum.

Frænorum verò duæ ſunt ſpecies: alia clauſa, alia aperta.

Clauſa ſunt, fræna omnia ordinaria. Aperta ſunt per varia accidentia. Hæc inſeruiunt ad dandam libertatem linguæ, quando ea eſt inſipida aut valdè craſſa, & fit nigra ſub fræno clauſo: tunc conceditur illa apertura ſeu porta, vt poſſit lingua pertranſire & habere libertatem frænum mandendi, & ex eo delectationem accipiendi.

Fræna aperta etiam, quando cum montibus seu portis rotundis aut quadratis sunt parata, adstringunt rostrum Equi ad declinandum & subiugandũ illud. Sed quando montes sunt alti & eleuati offendunt sæpè palatum. Iucundiores ergo sunt portæ aut montes decliuiores, qui non offendunt palatum neq; buccam defluunt.

Hæc fræna aperta in duas species itidem subdiuiduntur, in aperturam arcatam & aperturam quadratam. *De franis apertis.*

Quadrata ista & arcata diuersas etiam formas recipiunt: majores & minores, altiores & inferiores, declinatas & directas, prout lingua ac palatum eas sufferre possunt.

Si enim lingua erit crassa & latá, tunc latior porta & apertura debet ei concedi. Si lingua erit non valdè crassa, tunc minorem aperturam seu libertatem debet habere. Similiter si palatum erit crassum & eleuatum, tunc altiorem portam seu montem aut aperturam concedere ei oportet. Sed si palatum superius delicatum & arcatum habebit, inferiori porta seu apertura id munire debemus. Si lingua fuerit insipida & non rubicunda, debemus eum aliquibus ioculis aut catenulis, monti ipsius aperturę alligatis frænare, vt lingua aliquã delectationem & voluptatem ab istis ioculis recipere, linguamq; obdormitam mouere & frænum mandere Equus possit. Si lingua non directè perforabit frænũ aut per medium fundum oris transibit, & aliquando extrà ex parte oris obliquè se exeret, tunc debemus contrariæ parti aperturæ aut fræni ioculum seu ludibrium aut catenulas aut aliquem paruum globulum imponere, vt lingua diuertatur in illam partem, vbi esse debet, & sic iustè frænum perforabit. Si linguam turpiter extra os tenet, aut supra montem & subter frænum linguam defert, tũc super montem aperturæ aut portæ, ponere debemus aliquam paruam hasticulam ferream cum paruo globulo superius contexto ad voluendum facili & sic lingua reuertetur ad tangendum altiorem locum & collocabitur suo loco. *De Lingua*

NOtandum verò est, quod linguam extrà buccam exerere potest non tantum ille Equus qui linguam crassam, sed etiam ille qui eam subtilem habet, quæ serpentina vocatur. Cuius defectus remedium est non apertum, sed clausum frænum cum ludibrijs contextum adhibere.

Et aliquando occurrit, quod Equus tenet linguam in palato sic retractam, vt cum illa extensa non velit recognoscere neq; mandere frænum, Italicè dicitur lingua ingorgata, id est, lingua retenta in gutture. Ad hoc vitium evitandum benè est concedere Equo frænum apertum cum monte decliui cum ioculis aliquibus ad similitudinem pontis, & etiam frænum vngere cum melle & sale, vt frænum mandere possit.

Sunt etiam aliqui Equi, qui super frænum ponunt linguam, non subter, sicut necesse est linguam tenere. His quoq; necessaria sunt fræna aperta cum monte integro facili ad voluendam cum aliqua parua tabula seu laminula ferrea monti alligata (quam trabocco dicunt Itali) vt impedimento sit linguæ, ne possit super frænum transire & adigat linguam subter ire. Hæc omnia, de quibus diximus, vocantur fræna aperta.

Fræna quoque accipiunt nomina à similitudine rerum ipsorum quas repræsentant, sicut quædam sunt similia oliuis, pyris, pomis & id genus alijs. Alia *De nominibus franorum.*

etiam ab eorum inuentoribus denominantur, ſicut Pigniatella à nobile Iohanne Baptiſta Pignatella egregio caualcatore Neapolitano. Item Flacco, à Cæſare Flacio nobile Ferrarienſi, & à quibuſdam alijs.

De bucca.

Fræna autem debemus accommodare buccæ Equi, ſecundum qualitatem & magnitudinem buccæ. Quia ſi magna erit bucca, tantò majus debet frænum eſſe, ſi parua paruum conceditur frænum.

Fræna iſta intelligũtur ſimplicia & duplicia. Simplicia ſunt, quæ ſolùm vno ordine ſunt parata, vt oliuæ duæ, pyra duo, poma duo contexta. Duplicia ſunt cũ duobus ordinibus contextis, vt oliuæ quatuor, pyra quatuor, poma quatuor.

Sunt & alia quæ imperialia & ducalia dicuntur ad ſimilitudinem coronæ imperialis & ducalis, Sed nos has & alias ſimilitudines ſeu nomina parũ curamus, cauſſas & effectus frænorum potiùs conſiderantes.

Principalis autem cauſſa & effectus eſt, reducere Equum ſi poſſibile eſt ad talem obedientiam, vt ſine fræno nobis obedire & iuſtè in omnibus motibus à nobis agitari poſſit. Sicut autem id poſſibile eſt, ſic non omnibus data eſt ſcientia talis. Nos ſimus contenti reducere Equi buccam ad talem obedientiam vt ſimplici fræno eum regere poſſimus.

De arundine ſeu Cannone.

Inter fræna igitur ſimplicia, ſimpliciùs ac dulciùs eſt arundo, Italicè Cannon: Hoc frænum eſt ferrum rotundum, concavatum, politum, ſicut cum cæteris in forma demonſtrauimus.

Hoc non frangit buccam, neq; offendit. Præcipuè debet imponi iuvenibus Equis et alijs ſenioribus qui laceratam habent buccam ac linguam ex qualibet cauſſa. Hoc ipſo enim Equi non indignantur & facilè ad diſciplinam compelluntur.

De Scaccio.

Secundum frænum dulce quod Scaccium vocatur eſt ad ſimilitudinem arundinis quaſſatæ & contractæ. Aliorum frænorum genera, ſicuti globuli rotundi, ouati aut ſemirotundi ſicut rotæ: baculi alij contorti alij tranſuerſi, vocantur poma, oliuæ, Melones, pyra, Caſtaneæ, nuces, paternoſtri, roticulæ. Baculi ſimplices, baculi contorti, baculi duplices, campanulæ, annuli & ſimilia. Iſtis enim impletur os Equi in profunditate, latitudine, altitudine, longitudine. Profunditas intelligitur pro concauitate buccæ. Latitudo verò, quando bucca fuerit lata per tranſuerſum. Altitudo intelligitur quando palatum eſt arcatum. Longitudo cognoſcitur per longam aperturam buccæ cum fiſſura labiorum, & ècontrà de parua bucca dicitur. Quando bucca eſt nimis profunda, debemus cum Scaccio aut oliuis, aut reuerſis pyris buccam frænare: quando nimis alta et arcata, cum eleuatioribus globulis ac aliquo monte non aſpero bucca corroboranda eſt. Quandoq; etiam plures annuli & globuli fræno ſunt adiungendi ſecundum largitudinem buccæ.

Effectus frænorum

Quando buccæ fiſſura eſt longa, frænis duorum ordinum quæ intelliguntur fræna duplicia, aut brachijs duobus ſimplici fræno coniunctis, debemus buccã corrigere ſeu munire. Ex his verò annulis quorum mentionem fecimus, debemus imponere fræno, vnum duos aut tres, aut plures, ſecundum neceſſitatem buccæ, & iſti imponuntur fræno extrà aut intus, vt conſtringant frænum in illa parte vbi neceſſitas poſtulat. Verbi gratia: Equus tenet gingiuam delicatam atq; valdè frangibilem & acutam, tunc operatio fræni manere debet ſuper fun-

dum

dum buccæ (ſive ſit frænum globulorum, pyrorum &c.) non ſuper gingiuam. Propterea iſti annuli debent eſſe colligati in exteriore parte fræni, & ſic operatio tota erit intus infundo buccæ & non ſuper gingiuam. Econtrà ſi Equus duras aut carnoſas gingiuas tenet, & non valdè ſcatit frænum, tunc illi globuli ponendi ſunt ſuper gingiuas & parui iſti annuli ſunt collocãdi in parte interiore freni, pro majori verò vi et corroboratione fræni adiũgem9 ordinatã catenulã paruis globulis cõtextã, vt tãtò major ſit operatio. Iſtã catenulã Itali Sicilianã vocãt. Quod ſi aliquãdo neceſſitas conſtringit nos ad frænãdos Equos magnã buccæ fiſſurã habentes, tunc benè eſt adiungere frænis duo brachia colligata & in loco Sicilianæ contexta in mõte rotundo aut quadrato. Sed mons iſte ſit facilis ad declinandum & voluendum, ne offendat palatum buccæ. Illis duplicibus frænis debemus cautè procedere, quia fræna aſpera ſunt. Et ſæpè frangunt buccam, præcipuè vbi ſunt montes integri, quibus Equi aliquando ad deſperationẽ adiguntur, ſeq; reddunt refractarios atq; malitioſos, non non faciunt contorquere buccã ſicut forfices & corrodũt frænũ. Ad hunc defectũ forficis evitãdũ remediũ eſt ad dulciora fræna ſe cõferre, ad chamũ & ad moderatam diſciplinã. Hic etiã defect9 poteſt calcariũ caſtigatione ad tẽpus data à perito caualcatore, emẽdari.

Globuli iſti vocantur Italicè falli.

Aſpera fræna qualia ſint.

Quando Equ9 cõtorquet buccam.

Sed quando Equus magnam & planam habet buccam, tunc majoribus & altioribus munienda eſt globulis, qui melones vocantur. Si bucca erit dura atq; craſſa, tunc globuli iſti debent eſſe inſecati, vt premant Equi buccam: aut rotis ea muniatur.

De magna bucca & plana

Sunt alij Equi, qui defendunt gingiuam à fræno labijs clauſis, & ſic armant illam gingiuam labijs, vt frænum non poſſit ſuam operationem conficere (quod vitium Itali vocant Piumazzoli ſeu pulvinaria) Ad hoc reprimendum duco eſſe neceſſarium imponere frænum campanula dictum cum tympano & circumferentia eleuata: aut pyrum, vt labia poſſint diuertere à gingiuis ac frænũ buccam ſubiectam teneat. Si Equus delicatas gingiuas habeat, nec frænum ſuſtinere poſſit & propterea defendat gingiuam labijs, ſicut diximus, tunc illæ campanulæ aut pyra debent eſſe reuerſa, id eſt, pyri aut campanulæ circumferentia major debet eſſe intus buccæ fundum collocata.

Quando Equ9 defendit labijs gingiuas.

Solet etiam vſuvenire, vt labia Equi aliquando craſſa reddantur (quod Itali vocant craſſare) modo tali, vt inter frænum & cuſtodias pro labijs non ſit ſpacium & ſic labia eorum indignentur & deſtruantur. Ad hunc defectum evitandum benè eſt facere frænum, parum largius ordinario, vt ſpacium ſit inter cuſtodias & frænum, in quo labia collocari ac ſine offenſione manere poſſint.

Quando Equi labia craſſare ſolent per fræni moleſtiam.

Aliquando occurrit vt Equus clauſis ac ſtrictis dentibus frænum accipiat, & in fugam ſe conuertat. Contra hoc remedium eſt, aliquam catenulam fræno annexam ponere inter gingiuam & labium inferius, quò minus frænum dentibus retinere poſſit. Quod ſi Equus eo modo non obediuerit, tunc pro vltimo remedio ſecare ei oportet primos quatuor dentes partis inferioris buccæ, qui dicuntur molares, id eſt duos pro latere: Sic non poterit hunc defectum exercere, idq; probatum eſt. Prius tamen tentandum, ſi dulcioribus aut ſimpliciori-bus frænis & chamis ac moderatâ diſciplina eum reducere poſſimus.

Quando dentibus frænum accipit.

Pro generali maxima: fugiamus varietates frænorum & illa præcipuè frena quæ multis ferreis globulis contextis ſunt, parata. Quia non omnes Equi-

Frænorum varietas in oi Equi fugienda eſt.

tes parem habent gratiam ac manum temperatum: Et sic similibus frænis asperis facilè possunt corrumpere buccam.

Oliuæ, melones, globuli ouati, politi, simplices, non valdè eleuati, arundines, pyra, Scacia, sunt moderata fræna & Equis delectabilia. Montes seu portæ propter libertatem linguæ sunt submissæ & coadunatæ, in medio fractæ, & aliquando retrò contortæ ad voluendum faciles, sicut snnt pigniatellæ.

De apertura, montibus seu portis ad dandã libertatem linguæ.

Montes isti solent etiam constringere Equum ad declinandum rostrum, & sunt necessarij Turcicis Equis, qui rostro nimis eleuato incedere solent. Istis montibus aliquando annectendæ sunt aliquæ catenulæ, quæ brachia vocantur.

De brachijs Italicè braccioli.

Hæc brachia frænum fortius reddunt & buccam subiectam tenent. Quando autem brachia nimis sunt alta prohibent Equum bucca frænum assumere, & sicut Itali dicunt, frænum bibere.

Ego verò propter Equitum & domitorum delectationem meliorem intelligentiam aliqua frænorum collectanea conscripsi atq; declaraui, vt quæ ad propositum erunt, pro eorum Equis eligant.

Fræna autem subsequentia sunt moderna, quibus nunc in nostris Romanis atq; Parthenopeis palæstris vtimur. Quamuis non dubito, propter naturæ imbecillitatem, moderniora adhuc expectari posse. Quod quidem intelligo quãtum ad nomina & aliquorum imaginationes, sed non quantum ad effectus attinet, quotiescunq; Equites istis obseruationibus nostris vti voluerint. Et indigendo ad hunc generalem frænandi modum ac simpliciora fræna ac ferramenta à nobis particulariter denominata se referre poterunt.

barba Equi

Sed progre diamur nunc ad barbæ Equi discursum. Si crassa fuerit, catenula, quadratis annulis adhibitis, eam supprimere debemus. Si mediocris, catenulâ rotundis annulis contexta, cingenda erit, Si sicca atq; tenuis, implũbata catenula, ne noceat, neq; barbam laceret, ei addenda erit. Hasta debet esse longa vt & vncus, incipiendo â primo oculo fræni, cui hasta imponenda est, vsq; ad humerum custodiæ seu ferramenti. Oculus autem intelligitur foramen illud cui eligata est corrigia capitis Equi, quæ frænum sustinet. Catenula autem debet esse collocata super canalem menti barbæ, non altiùs neq; inferiùs, vt iustè suam operationem facere possit. Catenula ista sit grossa, firma, ferri plena, & aliquaudo integra, lunata & implumbata.

De catenula menti seri pastome.

De ferramentorum mensura ac proportione,

Ordinaria longitudo custodiarum seu ferramentorum postquam Equus capite firmatus est, non excedat palmam manus hominis, incipiendo mensuram ab incaustro cui frænum inditur, vsq; ad extemitatem pedis custodiæ.

De fræni latitudine,

Frænum latitudinis ordinariæ debet esse, quantum scilicet latitudo est manus hominis: tutius tamen est in frænis hisce ordinandis accipere mensuram latitudinis buccæ.

Apertura debet esse digiti pollicaris in latitudine. Iam ista ferramenta possumꝰ antè & retrò declinare in primo circulo seu humero (vti dicitur) provt etiam hoc ipsũ possumus facere in media parte ferramentorum, id est, in genibus & pedibus, hoc est, in fine hastarum.

De effectu custodiarum.

Solent etiam istæ custodiæ fortiores fieri incipiendo â primo oculo custodiarum eo attento, quod custodiæ longiores solent eleuare caput Equi, & quæ tenent breuius spacium in altitudine oculi, astringunt Equorum capita deorsum inclinare.

Altitudo

Altitudo oculi intelligitur ſpaciam intercolligationem ornamenti quæ frænum ſuſtinet, ad incauſtri locum qui continet frænum ori Equi imponendũ. Quando verò oculus eſt nimis altus, catenulam etiam menti altiùs attrahit, quod vitioſum eſt. Quo caſu benè eſt limare foramen oculi, idq; retrò declinare. Multò tamen meliùs eſt reducere iſtam altitudinem ad mediocrem proportionem: quia cum nimis breue eſt oculi ſpacium, tunc frænum bucca decidit, id eſt, Equus non poteſt bucca iuſtè tenere frænum, neq; loco ſuo ordinato.

De oculi altitudine.

Quando Equus in bucca oppoſitos tenet caninos aut columellares dentes, id eſt vnum decliuem & alterum altiorem, tunc frænum (quod vocatur falſũ) ei præparetur vt non offendat, neq; tangat tales dentes, ſicut in frænorum declaratione demonſtrauimus. Conducit etiam tali Equo applicare frænum altiùs ordinario, ne offendat columellares dentes.

De dentibus columellaribus.

Abſoluto jam & ad finem perducto tractatu frænorum, diſcurrendũ nunc eſt de quibuſdam præceptis ad hanc materiam neceſſarijs.

In primis ſciat Eques: tribus modis habenas in manu tenendas eſſe: videlicet manu altâ ſupra pomum Ephippij: manu demiſſâ ſub pomo Ephippij: manu mediocri pomo æquali. Hoc eſt manu levi, manu firma & manu tẽperata.

Quomodò habenæ in manu tenendæ ſint.

Si Equus caput nimium demittit, tunc levi & alta manu reducendum eſt. Si caput eleuatum & mouens extollit, tunc demiſſa manu ac firma ſubiugandꝰ eſt. Si verò loco ſuo proportionaliter caput tenet ac firmum, tunc temperata manu procedendum eſt.

Quatuor autem ſunt motiones manus in adducendo ac remittendo fræno, eoq; ad dextram ſiniſtramue partem gyrando. Manus verò habenas retinens debet eſſe ordinariè collocata ad directionem pomi Ephippij: & inter duas habenas ſit collocatus digitus auricularis. Moueat igitur Eques tantum coniunctũ pugni, idq; ſuperiùs vel inferius. Et eundem pugnum gyret vel ad dextrã vel ad ſiniſtram. Quibus quatuor motionibus ſi vtatur Eques, ſine offenſione buccæ ac capitis motione Equus liberè incedet, obedienter retinebitur, & jam in hanc iam in illam partem facilius flectetur.

De quatuor motionibus manus.

In manu autem fræni Eques non ſolum debet habere gratiam, quæ eſt principalis pars in materia iſta: Sed etiam in pedibus, & præcipuè in calcaribus: ut ſciat in illis etiam ſuam eſſe obſeruantiam & modum tangendi ventrem Equi. Quia ſi in retinendo fræno, pedibus aut calcaribus aut ſtapedibus tangit Equi ventrem, ſine dubio Equus, ſi fuerit ſenſitiuus, ſe ſurſum eleuabit aut in ſaltum ſe proijciet directè aut ex latere ac etiam retrorſum cadet ſeq; refractarium exhibebit vel in fugam ſe conuertet. Eques ergo ſemper teneat calcaria procul à ventre Equi, neq; pedes moueat præcipuè in retinendo Equo firmo pede conſiſtat, & ſemper temperata manu procedat. In alijs verò agitationibus neceſſe eſt aliquos equitandi terminos non ignorare.

Aliquæ obſeruationes ſcitu neceſſariæ.

Occurrit etiam, vt Equus interdum non obediat Equiti, neq; per frænum idoneum neq; per diſciplinam. Quod quidem procedit ab aliquibus indiſpoſitionibus naturalibus aut accidentalibus. Sentiunt Equi aliquid aduerſi certis temporibus, & præcipuè in novilunio ſentiunt aliquos dolores in oſſibus, et debilitatem neruorum, cerebri & oculorum. Occurrunt etiam aliqui dolores accidentales in corpore ex diuerſis cauſis, quas in hoc tractatu non ponimus

De indiſpoſitionibus in quas Equi incurrere ſolent.

ob ſcribendi inconuenientiã. Ex improuiſo etiã â febribus inuaduntur alijsq; diuerſis morbis, quos Eques non animaduertit. Et quando ſedet ſuper Equum, inuenit illum eſſe pigrum, melancholicum, debilem & deiectum. Aliquando etiam fabri ferrarij ſoleas ſtrictas & anguſtas pedibus applicant: Interdum clauis partes ſpirituoſas vngularum perfodere ſolent, ob quas cauſas Equus ſe ſuſtinere non poteſt. Adhæc maximè animaduertendum eſt, eos aliquando totã fortitudinem & ſuperficiem vngulæ radere: cum ſoleæ debeant eſſe amplæ, commodæ, vt Equus poſſit benè & quietè ſuper illis ſtare.

Solẽt etiam corrigia & ornamenta Equorum in capite, dorſo, cauda, Equũ lædere, ac etiam cingulum & Ephippium Equo nocere. Propter quas cauſas & offenſiones Equus caput mouebit, ſaltus excitabit, extra propoſitum caudam gyrabit, aliquando in fugam ſe vertet ac in terram ſe proijciet. Solent etiam tempore æſtiuo vermes ac muſcas in diuerſis partibus corporis & in auriculis offendere Equum. Ex quibus prauæ capitis motiones ſæpè oriuntur. Reſpiciendum etiam eſt, ne frænum ſit fractum aut corroſum, ne bucca laceretur, nec tangat columellares dentes, qui Canini appellantur.

In quo loco buccæ frænum locandum.

Frænum in bucca Equi ſit collocatum parum ſuper denominatos dentes Caninos: ac paſtomis ſit poſita ſuper canalem barbæ, neq; ſuperiùs neq; inferiùs.

Magnum ſignum optimæ complexionis eſt, cum in Equo eſt naturæ temperies, recens & optima bucca: quando mandendo frænum Equus ſuſcitat ſonitum, & continuas ſpumas proijcit. Quod melius deſcribere non poſſum, quã ſecundum carmen Poetæ:

Stat ſonipes fræno ferox & ſpumantia æquora mandit.

EPILOGVS.

IAM DIXIMVS DE QVATVOR DEFECTIBVS, in quos nonnulla Equorum capita incurrere ſolent: & adiunximus, quatuor ſpeciebus cuſtodiarum talia vitia emendari poſſe. Quid ſit frænum & eius effectus declarauimus. Item de qualitate buccæ Equi, frænis idoneis & accomodatis ſecundum ſuam proportionem. Mentionem quoq; fecimus de barba & eius vitio catenulis ſeu paſtome ad conſeruandam & ſubiugandam barbam.

Diximus etiam de proportione ac menſura cuſtodiæ, fræni & paſtomis: quæ omnia latini oream vocabant, & ab Italis nunc briglia dicitur. Declaro igitur, quod proportio oreæ tãm in longitudine quãm latitudine debet eſſe ſecundum qualitatem & altitudinem Equi. Menſura etiam largitudinis buccæ accipiatur, ne frænum ſit nimis largum neq; nimis ſtrictum aut anguſtum.

De proportione ac menſura cuſtodiarũ.

Ordinariè non excedat largitudinem manus hominis & apertura fræni ſit larga quantũ pollicaris digitus. Cuſtodia debet eſſe longa quantũ longitudo manus hominis, incipiendo ab incauſtro vſq; ad finẽ cuſtodiæ. Incauſtrũ occupare debet in altitudine digitos ordinarios duos: ſic etiã duo debent eſſe ſpacia altitudinis inter cauſtrũ & oculũ, vbi corrigia ſeu ornamenta capitis alligantur.

Foramen oculi digiti ſpacium præoccupet: cuſtodiæ verò barba in longitudine ſpacium digiti pollicaris. Et hoc ſecundum ordinariam normam ac regulam.

Sed

Sed ſicut diximus quod orea in ſuis partibus ac membris debeat eſſe conformis magnitudini ſeu proportioni Equi: propterea non poſſumus certam anatomiam aut methodum cuſtodijs, aut frænis aut paſtomibus aſſignare, ad iudicium Equitum ac domitorum longo vſu atq; experientia confirmatum nos referentes. Ego verò, qui omnes ferè autores antiquos atq; modernos, qui de hac ſcientia ſcripſerunt, perlegi, poſſum de hac arte teſtimonium perhibere. Placeat igitur lectoribns Pirrhum Antonium Ferrarium Neapolitanum conſulere, tum etiam Abſolonem della Brua, nobilem Gallum, modernos ac probatos ſcriptores, qui poſt compendium de heroica arte Equeſtri à me editum ac Venetijs impreſſum, ſcripſerunt. Ex quibus meliora atq; faciliora eligant, ac meos etiam præſentes labores, quos per aliquot annos Pariſijs, Neapoli, Romæ & Patauij in meis publicis palæſtris collegi, grato animo accipiant. In quibus præclariſſimis palæſtris complures Principes ac nobiliſſimi Equites totius Europæ ferè ſe exercentes, experientia confirmati ſunt.

Pirrhus Antonius Ferrarienſis ſcripſit de anatomia cuſtodiæ: & Abſolon della Brua methodum aliquam Equos frænandi monſtravit.

Quid igitur concludemus in præſenti noſtro tractatu? Dicimus ad iſtam ſcientiam conſequendam differentiam eſſe debere inter Equitem & domitorem Equorum ſeu profeſſorem artis equitandi.

Differentia inter Equitem, & domitorem.

Eques intelligitur vir habilis, ſedens ſuper Equum ad curſum idoneum, aliqua arma poſſidens, hoſtes ac beluas inuadens. Equitem quod attinet: ſit ille contentus cognoſcere qualitates pulchri atq; fortis Equi, pro eius vſu atq; commoditate tàm belli quàm pacis tempore.

Diſcat etiam cognoſcere, num Equus per diſciplinam aut naturam eius bonam, capite (ad locum ſuum redacto ſicut demonſtrauimus) ſit firmus.

Quando igitur Equus portat caput firmum, tunc, ſi indiget aliqua qualitate aut diuerſitate fræni poterit eum confrænare frænis dulcioribus, levioribus & politioribus ſicut iam diximus. Qualia ſunt Cannones, Scacia, pyra, campanę, oliuæ, melones, quæ omnia concauata atq; adeò leuiora ſunt meliora.

Debet etiam Eques cognoſcere aliquos defectus principales in bucca Equi cui frænum impoſitum eſt. Hoc eſt, ſi Equus ſentit aliquam lacerationem aut defectum in bucca, videat Eques, ſi defectum aut lacerationem ſentit ſuper fũdum buccæ, aut ſuper gingiuas, aut ſuper palatum, aut ſuper linguam. Hos defectus cognoſcet Eques ex ſubſcriptis ſignis. Si Equus contorquet buccã, ſi tenet apertam buccam, ſi trahit defectuoſè roſtro frænum, ſi labia incluſa tenet inter frænum & gingiuas. Si lingua fit nigra ſub fræno, ſi linguam tenet ſuper frænum: Si lingua retenta in altiori loco, neq; ſuper neq; ſubter frænum conſiſtere queat: Si linguam extra tenet, ſi buccam ſiccam habet & non ſpumoſam neq; buccam ac linguam rubicundam: nec etiam frænum mandat ac delectationem eo recipiat. Remedia ſunt infraſcripta. Si torquet buccam, conuenit ei concedere frænum iucundius varijs ex cauſis: aut propter offenſionem aſpri fræni ſuper gingiuas, aut ſuper fundum buccæ, aut ſi offendat palatum aut etiã pro laceratione buccæ. Dico quod remedium eſt mutare frænum ac imponere ei leuius, limatum, politum, dulcius, ſicut arundo, Scacium. Si paruam habet buccam concedere ei olivam, ſi magnam, melonem. Si tenet apertam buccam remedium eſt videre, ſi offenſam habeat buccam, tunc poſt medicatum os, concedatur ei limatum ac leuius frænum. Si frænum ſit aſperum, ſimili modo mu-

tetur

tetur frænum, & delectabilius ac dulcius ei applicetur. Quod si buccam tenet aperta m astringatur corrigia rostri, quæ misurola Italicè dicitur, Si labia clausa tenet inter frænum & gingiuas, campanula aut pyro Equum ob tales defectus corrigere debemus.

Si lingua fit nigra sub fræno, hoc est signum, quod Equus non possit habere libertatem linguæ, neq; ob crassitudinem linguæ eam sub frænum submittere Ad hoc remedium est, facere frænum cum apertura rotunda aut quadrata.

Si linguam tenet super frænum benèest, Equo concedere aperturam cum monte rotundo, cum ioculis aut ludibrijs medio montis alligatis.

Si linguam tenet altius, ita vt ingutture eam retineat, tunc benè est ordinare ei frænum apertum sine monte, aut cum monte reuerso, tum etiam frænum sine ligatura vt apparet ex figura 45.

Si linguam extra buccam tenet, tunc aliquam hasticulam directã fræno annectere debemus, cui hasticulæ parua nux imposita sit, vt lingua paruam nucem iocosè attingat, & reuertatur superiùs.

Si buccam siccam ac non spumosam, linguam etiam non recentem habet, neq; frænum mandit: tali Equo concedatur sal mel & herba, aut pulvis pyrethri & staphysagriæ, hoc modo frænum mandet, & buccam recentem habebit, semper enim Equus frænum spumosè mandere & ad manũ Equitis sub fræno leuem, hilarem se reddere debet, nec in eo conducendo astringere, neq; valdè grauiter attrahere Equitis manum.

Eques etiam sciat modum tenendi habenas manu: temperanterq; vtatur fræno & calcaribus sicut iam diximus.

PRO DOMITORE EQVORVM AC EQVI-tandi artis professore.

DOMITOR EST VIR SEDENS SVPER FEROcem aut inobedientem Equum, flagellum in manu habens, ad obedientiam Equitis Equum compellens.

DOmitor seu artis equitandi professor, huiusq; facultatis ignarus, non potest se excusare, dicendo, quod scientia hæc Equos frænandi sit ualdè difficilis, vastum pelagum eam vocando, sicut aliqui dixerunt. Talis enim excusatio non defendit illorum ignorantiam: præcipuè eorum qui non contenti status sui conditione ad domandos Equos iam designati, totam etiam equitandi artem ac frænandi scientiam lacerare eamq; prophanare conantur. Imò vlteriùs procedentes ad instruendos Equites se ingerendo, Equos destruunt, vt Equites deludunt.

Non mirum igitur, quod varij generis Equos elegantes, sanitate corroboratos, ac iustè obedientes, ad præsens non vidimus, cum Equitum magna imperitia, non solum in sedendo super Equos, sed etiam in conducendo & agitando eos. Causæ huius defectus sunt tales viles homines vsurpatores artis equitandi, cum magno complurium Principum ac Equitum detrimento, qui eorum operâ vtuntur, sicut multos eiusmodi vagabundos per totam Italiam, Galliam, Germaniam, Poloniam, aliasq; regiones dispersos vidimus, qui nomen caualcatoris seu domitoris Equorum sibi falso attribuunt,

Fateor

FAteor tamen in Aulis potentiſſimorum Principum ac compluribus Europæ locis aliquos nobiles ac præclaros viros facultate hac probè inſtructos, reperiri, qui egregiam ſuam operam in hac Equos domandi ſcientia oſtenderunt ac præſtiterunt.

PRO CAVALLERIZZO SEV DOMITORE EQVO-rum neceſſaria ad ſciendum.

DOMITORES IGITVR ET ARTIS EQVITANDI profeſſores nõ ſolũ obligati ſunt cognitionẽ habere internæ atq; externæ Equorũ naturæ, defectus, gratiæ, virium, atq; virtutũ ipſorũ, cum modo eorum ſanitatem conſeruandi, verum etiam maximam experientiam ac dexteritatem cum ſumma gratia atq; laude, cum Equites tum Equos inſtruendi & ad perfectam normam ſeu diſciplinam eos reducendi. Ornati etiam caualcatores eſſe debent omnibus conditionibus ac qualitatibus benè ac iuſtè Equos frænandi, cognoſcendo omnes buccæ defectus intus ac extrà & totam eius proportionem. Nec non omnia nomina modernorum ſaltem frænorum, cuſtodiarum paſtomium & camorum. Eorum etiam effectus, defectus, fortitudinem, debilitatem & ordinationem noſſe debet: ac ſimul etiã omniũ eorum rationem reddere: ſcientes theoricam uſu & experientia confirmatam. Quando igitur noſter profeſſor ad talem erit perductus perfectionem, vt ratione fundata & non caſu operetur, tunc iuſtè ac meritò Cuallerizzi nomen ei concedendum eſt.

I







3



4

S











e


a














K
A

16


























C















30






A




















































HH
LL















II.

XIII



IIII



VI.



VII.



VIII.





IX.





XI.

XI.


γ
ι
η

XIIII.



XVIII

XV



XX.

XXI



XVII

XXI

XXII.



XXIII.



XXIII

XXIIII.



V



AA







XVI



BB



III



D



II



D

XIX



EE



FF












NN
KK

KK






AAA
OCVLVS
OCVLI ALTITVDO
SICILIANA
VNCVS
ASTA
ARCVM
INCAVSTRV
E FRNVM
BACVLVM
BARBA
SEMI CIRVM
CATENVLA
MENTI
CORPVS CVSTODIE
GENV
FLOS
ARMATVRA
PES


LINEA DIRECTA PER QVĀ CVSTODIE FORTIT
VDO COGNO
SCITVR.
CVSTODIA FORTIS
ANTE PROIECTA




CVSTODIA DEBILIS RETRO DECLINATA
LINEA PER OVAM
DCCLINATIO AVT DCBILITAS
CVSTODIE COGNOSCITVR

CCC





INTERPRETATIO ANTECEDENTIVM FIGVRARVM, LVPATORVM, AC ETIAM DECLARATIO custodiarum, frænorum, & pastomium: nec non chamorum effectus narratio.

ALEXANDRI MASSARI, MALATESTÆ ROMANI:

FRÆNVM SIMPLEX, CVM FERRAMENTIS 1.
seu custodijs extensis, quod ab Italis Cannon vocatur, id est, arundo cum pede retrò declinato in parte inferiore: qui flos dicitur. Inseruit juuenibus Equis, qui caput demissiùs tenent. Hoc frænum quantó majus est, crassius atque plenius, eo magis implet buccam: Estque idoneum pro Equo magnæ buccæ. Mentum integrum, lunatum citiùs firmat Equi caput, idque subjectum tenet.

Frænum simplex acutum cum ferramentis declinatis, quæ Gallinæ crura ap- 2
pellantur, cum catenula ordinaria in parte superiore (Siciliana dicta) est aptum pro Equis, capite nimis erecto atque eleuato incedentibus. Et si erit cum catenula integra seu pastome in mento, Equum à prauis atque indecoris capitis motionibus prohibebit.

Frænum simplex ad similitudinem mallei, cum joculis in media parte, ac cu- 3
stodijs declinatis ordinarijs, est pro Equo planum habente palatum: dat libertatem linguæ & facit attolere rostrum.

Frænum contortum cum parua nuce supra posita, inseruit Equis, qui post 4
agitationem cum fræno simplici, grauem reddunt Equitis manum. Hoc fræno leuius incedit. Parua nux cum custodia antè declinata & flore retró reuerso Equi caput eleuat, Equum vnitum, & in maiori obedientia retinet.

Frænum cum porta seu apertura ad similitudinem colli anserini, cum bra- 5
chijs paruorum simplicium globulorum. Inseruit Equo bonæ buccæ, sed palatum arcatum habenti. Mons, vel porta, vel collum anserinum, constringit caput vt declinetur & linguæ libertatem concedit. Brachia frænum fortius reddunt, cum custodijs non valdè fortibus, cum flore, (vt dicitur) Mantuano extenso. Pastomis sit rotunda vt mentum non offendat.

Canon apertus, figuram pedis Cati repræsentans, cum integris brachijs ple- 6
nis simplicibus globulis, qui ab Italis nominantur paternostri. Inseruit Equo paruæ buccæ & aliqua linguæ libertate indigenti, & rostro antè eleuato incedẽti. Custodiæ sunt fortes, vt rostrum inferiùs reducant. Pastomis est ordinaria vt apparet.

Lupatum plenum quod vocatur Scaccium, contextum cum duobus ordini- 7
bus globulorũ simpliciũ, cum custodibus fortibus in parte superiori & in media retrò reuersis vsq; ad pedem. Custodiæ istæ non sunt fortes neq; debiles, sed mediocres, id est, ordinariæ. Frænum hoc imponitur Equo post primum frænum simplex, quod vocatur Cannon, & est secundum frænum quod Equo imponendum

ponendum eſt, poſtquam ad capitis firmitudinem ac æqualitatem eſt deductus. Quia aliquanto aſperius eſt ſimplici fræno & ad majorem obedientiam Equũ deducit.

8 Frænum ſimplex cum paruo globulo ligaturæ vicino, paruisq; annulis circum circa ſuper contexto: ferramentis fortibus cum ſemiflore ordinatis. Eſt pro Equo inobediente, qui linguam ſuper frænum exerit & in retinendo aliquo modo difficilis eſt. Hoc lupatum reducit linguam ſubter frænum, locum ſuum ordinarium. Iuc undiorem et humidiorem reddit buccam: leuiorem verò Equitis manum. Quapropter cuſtodiæ debent eſſe fortes: Catenulamenti ſeu paſtomis groſſa, limata, ſimplex, ne barbam offendat.

9 Frænum Hiſpanicum, cum quatuor globulis vnicuiq; lateri impoſitis, cum rotundo monte: paſtome integra in parte ſuperiori, inferiori verò malleis parata. Inſeruit Equo, qui leui & expedito eſt corpore, vt Hiſpanorum & Italorum ſunt Equi, nominati vulgò Gineti.

10 Scacium acutum integrum, figurâ portæ & medij pedis Cati, cum globulo in vtroq; latere: In cuius parte ſuperiori eſt parua nux, cum brachijs, annulis plenis contextis. Inſeruit præcipuè Equis Friſijs fræno incumbentibus, vt leviores ac molliores in bucca reddantur.

11 Lupatum, duplex baculus, vocatum, cnm globulo in media parte, monte eleuato, integro, ac globulo ſuperiori parti impoſito quaſi parua nuce: cum brachijs itidem paruis, globulis, munitis. Inſeruit Equo duras gingiuas atque vetuſtas, buccam quoq; aſperam habenti. Cuſtodiæ ſunt debiles cum extenſo flore, vt qui roſtrum magis eleuent.

12 Lupatum, quod Italicè Pigniatella, dicitur: cum eleuatis circulis in latere, rotundo itidem ac decliui monte, in annulis, in parte eius ſuperiori, munito: brachijs itidem adiunctis. Eſt pro Equo qui libertatem aliquam linguæ requirit & altiorem montem ſufferre non poteſt, ne palatum offendatur. Cuſtodiæ ſunt fortes cum catenula menti aſpera, vt Equus non intrà ſed extra buccã caſtigationem potiùs ſentiat, idq; ob conſeruationem eius.

13 Hic Chamus ferreus in tres partes diviſus, cum quatuor cochleis ferreis antè incluſis, ad diſiungendum facilis. Eſt artificium pro Equis duri capitis ac ceruicis, vt ad dextram ſiniſtramq; partem faciliùs flectantur: ceruicis etiam ac colli durities amoueatur.

Baculus cum pigniatella arcata, globo ex tranſuerſo poſito, catenulis & glo-
14 bulis annexis, ac ludibrio in medio pigniatellæ. Eſt idoneus pro Equo capite firmo, altasq; gingiuas habente. Hic ſine omni indignatione Equi buccam leuiorem ac dulciorem efficit. Ferramenta eius declinata ac debilia Equi roſtrum attollunt atq; eleuant.

15 Lupatum colligatum modo Pigniatellæ, cum limato ac plano monte, & brachijs ab vtroq; latere. Eſt pro Equo linguæ libertate indigente, apertam & contortam buccam tenente.

16 Cannon integer cum parvo monte & tabella cadente ſuper aperturam vt lingua ſit ſub fræno atq; id mandat. Eſt pro ſenſitiuis Equis linguæ libertatem deſiderantibus. Capitis commotionem impedit. Cuſtodiæ adhibeantur pro Equi neceſſitate.

Scacium cum globo eleuato, figurâ medij pedis Cati, modo Imperiali factũ. 17
Eſt pro Equo duri oris, & cui adducere & attrahere caput neceſſe eſt. Cuſtodiæ ſunt aliquo modo debiles, vt moderatè roſtrum reducant.

Hoc, frænum probationis vocatur, multis membris diſtinctum atq; diuiſum, 18
vt pro libitu diuerſas frænorum ſpecies ei imponere: etiam ſine capitis corrigijs vel ornamentis id buccæ Equi applicare, & hoc modo Equum agitare poſſimus, Conceditur Equis iam inſtructis & phlegmaticis.

Oliva integra cum duobus annulis extrà & vno paruo intra: cum ordine 19
catenulæ in duas partes diuiſo, in cuius medio poſita eſt parva haſticula: cum cuſtodijs itidem mediocribus. Eſt pro Equo paruæ ac bonæ buccæ: aliquam libertatem concedit, ac molliorem leuioremq; Equi buccam efficit.

Mons integer in vertice declinatus, cum campanula plana in circulo: cum 20
tribus annulis extrà: cũ paruo ordine tribus paruis oliuis contexto in parte ſuperiore loco Sicilianæ. Eſt pro Equo labijs à fræno ſe defendente, (quod vicium Itali nominant piumaccioli) Et aliqua linguæ libertate indigente. Cuſtodiæ ſunt fortes incipiendo ab humero vſq; ad geniculum: à geniculo verò vſq; ad pedem debiles. Hoc fit vt caput reducatur cum majori gratia ac poſitione pulcra, roſtrum etiam eleuet.

Integer pes Cati cum oliua vna in latere & ordine paruorum annulorum: 21
cum Siciliana in ſuo loco bipartita. Eſt pro Equis magnam buccæ fiſſuram habentibus. Cuſtodiæ ſunt mediocres, vt caput moderatè & in pulcram poſitionem Equus reducat.

Hoc frænum vocatur Campana cum globo in latere extrà, cum apertura fi- 22
guram pigniatellæ referente, parua nuce in vertice poſita: brachijs, ac ordine paruorum annulorum ex tranſuerſo aperturæ poſitò. Inſeruit Equis craſſa labia habentibus. Hac de cauſa in parte exteriore ponitur globus ille vt ſit ſpaciũ inter cuſtodias & campanam propter labiorum craſſitudinem. Mons, id eſt, pigniatella non offendit palatum, quia in media parte eſt fractura & facilè volvitur. Apertura dat libertatem linguæ: ſed modo tali, vt linguam non poſſit extra buccam tenere propter roticulam in ſuperiori parte: Et propter ordinẽ paruorum annulorum ex tranſuerſo aperturæ poſitum. Quæ apertura eodem tempore dat libertatem & linguam retinet. Cuſtodia iſta appellatur Italicè guardia fallita. Debilis potius eſt quám fortis vt Equi roſtrum eleuet.

Oliua modo imperiali facta cum roticula in medio collocata & Siciliana 23
ordinaria. Eſt pro Equo, qui concauum oris fundum, linguam quoq; ſubtilem habet. Cuſtodia ſimiliter fallita appellatur: quod ab humero vſq; ad geniculũ ſe fortem eſſe oſtendit: â geniculo verò vſq; ad pedem declinatur & fit debilis ad eleuandum roſtrum Equi.

Baculus cum globo eleuato ab vtraq; parte & duobus paruis annulis liga- 24
turæ vicinis: in parte veró ſuperiori cum catenula duorum ordinum. Eſt pro Equo boni oris, ſed manum aliquo modo aggrauante & aliquam linguæ libertatem deſiderante. Ferramenta aliquo modo ſunt debilia, vt Equus moderatè ac debito modo caput geſtet roſtrumq; eleuet.

Lupatum baſtardum dictum cum duplici menti catenula. Eſt pro Equo 25
ſtrictas ac duras gingiuas habente. Buccam Equi caſtigat, linguam, ſi eam

exerit retinet, eius os mollius ac leuius efficit. Duplex catenula menti eſt pro majori barbæ caſtigatione. Ferramenta ſunt fortia cum flore ordinario, vt Equũ ſubiectiorem eiuſq; inceſſum elegantiorem reddant.

26 Lupatum figurâ pedis Cati, modo imperiali, cum oliua denſa & parvo annulo extrà poſito : cum arcatis brachijs, paruis globulis munitis. Eſt pro Equo magnam buccam ac debiles gingiuas habente. Nec buccam, nec palatũ offendit. Mons ſeu porta non ſit alta, ne Equus os apertum teneat. Ferramenta aliquo modo ſunt debilia, cum flore extenſo parata, vt moderatè cáput attrahãt & roſtrum eleuent.

27 Ordo annulorum formâ oliuæ paratus, cum ordine paruorum annulorum in ſuperiori parte munito ac parua laminula in medio collocata. Eſt pro Equo ſiccam & duram buccam habente & frænum non mandente. Ferramenta non valdè ſunt fortia vt moderatè Equi roſtrum attrahant.

28 Baculus cum eleuato globo & quatuor annulis ab vtroq; latere, modo pigniatellæ: cum duplici monte, in cuius ſuperiori parte eſt circulus annulis munitus, & in vertice nux collocata: In medio verò maioris montis ordo annulorum ex tranſuerſo poſitus, cum brachijs paruarum catenularum. Eſt pro Equis linguam exerentibus & magnam buccæ fiſſuram habentibus. Cuſtodiæ ſunt potiùs fortes quàm debiles. Aduertendum verò eſt montem in medio fractum ne palatũ offendat.

29 Ordo trium globulorum cum duobus annulis in parte exteriore collocatis, & vno annulo ligaturæ vicino. Eſt pro Equis bonam buccam & linguam ſubtilem (quæ vulgò ſerpertina dicitur) habentibus. Linguam enim retinet, leviorem ac molliorem Equi buccam reddit. Cuſtodiæ vſq; ad geniculum ſunt fortes, deinde retrò declinatæ, vt caput attrahant, idq; decore ac eleganter tenere faciant.

30 Duplex mons integer cum pyro reuerſo, duobusq; annulis extrà : cum porta declinata in ſuperiori parte : catenulis menti duplicibus & haſtis. Eſt pro Equo duram ac malam buccam habente, caſtigatione etiam indigente. Liberam reddit linguam: mons vero Equi roſtrum attrahit. Ferramenta ſunt aſpera cum duabus catenulis, vt prematur barba pro majori ipſius obedientia ac ſubiectione.

31 Lupatum cum directo ordine, vt facilius eximi; aliæq; frænorum ſpecies pro Equorum neceſſitate, imponi poſſint.

32 Lupatum quod Italicè garbuglio dicitur, id eſt confuſum cum quatuor ordinibus paratum & quatuor globulis ſupter contextum. Eſt pro Equo magnæ buccæ, caput nimium eleuante ac roſtrum inſtar Cameli extendente. Sicilia-
na ſit malleis munita aut paruis roticulis circundata. Hoc caſtigatur gingiua inferiùs, & ſuperiùs labia à gingiuis ſeparat ac puluinaria Equum facere prohibet, quæ ab Italis piumazzoli vocantur. Ferramenta ſunt fortia, vt Equi roſtrum ſubmittant. Sed Eques tali Equo manum ſubmiſſius tenere debet, vt roſtrum demittat.

33 Falſum frænum in cuius vno latere p oſitum eſt pyrum reuerſum, in altero verò pomum ſecatum, cum tribus annulis ligaturæ vicinis, cum medio baculo contorto in exteriore parte, et cuius Sicilianæ ſit impoſita parua nux ad dire-

ctionem

ctionem pomi, vt lingua illam partem contingat ac delectionem habeat, est pro Equo durum caput habente idq; plus in vnã quam aliam partem torquente, vt cogatur in illam partem se vertere, vbi est asperior globus, in quo latere dicitur esse ferramentum fortius, vt eiusmodi artificijs alijsq; similibus, Equum ad obedientiam reducere possimus.

Scacium integrum in modum baculi cum eleuato globo ab vtroque latere & 34
& annulis in medio secatis cum Siciliana sua ordinaria & laminula in medio posita. Est pro Equo concavum palatum habente, ac linguæ libertatem desiderante, atque os contorquente. Hoc prohibetur labijs frænum attingere. Ferramenta aliquo modo sunt fortia.

Simplex frænum cum parua apertura quadrata paruis annulis munita, ac ca- 35
tenulis adiunctis. Est pro iuuenibus Equis, qui libertatem aliquam linguæ desiderant, rostrum instar Cameli extendunt, & caput mouent. Custodiæ aliquantum sint declinatæ seu debiles.

Pyrum reuersum apertum formâ pontis paruis globulis munitum brachijs 36
adiunctis, est pro Equo linguam subter frænum non retinente & aliquam libertatem requirente. Hoc buccam molliorem ac dulciorem, caput verò leuius reddit. Custodiæ sunt fortes vt decliuius rostrum submittat.

Globus eleuatus cum tribus annulis extra, & duobus intra, cum Siciliana 37
paruis globulis contexta inq; tres partes diuisa. Est pro Equis bonam quidē buccam, sed planam gingiuam habentibus. Hoc frænum dat libertatem linguæ propter altitudinem globi & buccam premit. Annuli defendunt labia à gingiuis. Alij verò duo annuli delectationem linguæ afferunt. Siciliana buccã madentem reddit. Custodiæ sunt vsq; ad geniculum proiectæ, deinde reuersæ vt in subiugando capite meliorem effectum afferant.

Scacium figurâ pigniatellæ, cum monte paruis annulis munito, paruisque 38
brachijs adiunctis, ac paruo globo aperturæ vicino, ioculo itidem in medio mõtis posito. Est pro Equo iuvene, qui sicco ore & obdormita lingua recipit frænum. Hac de causa apponuntur illi annuli, ioculi & catenulæ vt iocosè recipiat frænum ac suauius id mandere ac masticare possit. Ferramenta sunt fortia, vt rostrum submittat.

Frænum formâ pyri cum duobus annulis extra & duobus intrâ, cum ferra- 39
mentis mediocribus. Est pro Equo paruæ ac bonæ buccæ, sed qui manu aliquantum aggrauat & caput deorsum inclinat.

Medius pes Cati cum baculo contorto, vno globo in latere ex transuerso po- 40
sito, paruo monte formæ quadratæ annulis munito, brachijs instar paruarum oliuarum, ferramentis fortibus medio flore ornatis. Est pro Equo magnæ ac asperæ buccæ, & in retinendo difficili. Globus enim ex transuerso castigat buccam intus atq; gingiuam. Oliua implet magnitudinem buccæ. Custodiæ fortes subiugant Equum & in retinendo facilem ac obedientem reddunt.

Ordo rotarum maiorum et minorum in figura campanæ cum annulo in ex- 41
teriore parte posito, integro monte paruis annulis munito & brachijs adiunctis. Est pro Equo duram ac latam buccam habente, linguæ libertate indigente, nec frænum mandente, ac labijs se defendente. Custodiæ sint secundũ qualitatem & defectum Equi capitis ac rostri.

Medius

42 Medius pes Cati colligatus more moderno cum duobus globis Elevatis in latere cum tribus annulis in parte exteriore, brachijs arcatis sub Siciliana impositis. Est pro Equo latas atq; carnosas gingiuas habente. Globi castigant labia : mons aliquam linguæ libertatem adfert: brachia arcata buccam implẽt & palatũ non offendunt. Custodia talis est, vt Equus possit commodè bibere.

43 Baculus duplex cum monte rotundo & cum quatuor ordinibus in parte superiore & inferiore factus, paruis globulis munitus, & brachijs monti colligatis. Est idoneus pro frisijs Equis malam habentibus buccam. Et linguæ libertate indigentibus. Ferramenta sunt declinata vt tantò magis rostrũ eleuent.

44 Frænum bastardum cum clauso monte ac globo in exteriore parte quinque annulis munito, ludibrijs in medio montis positis, ac catenula menti integra. Est pro Equis non multum agilibus, nec pedes benè eleuantibus, in retinendo post cursum difficilibus. Huic fræno addatur etiam altera menti catenula ordinaria, vt operatio sit fortior.

45 Cannon cum menti catenula integra contexta. Est pro Equis qui nolunt linguam supponere fræno, nec vllo modo clausam tenere buccam. Custodiæ aliquo modo sunt fortes cum catenula ordinaria in mento.

46 Arundo integer qui facilè circum circa vertitur, cum ordine Sicilianæ tripartito in superiore parte. Est pro Equis sensitiuis, os torquentibus, & longum subtile, ac debile collum habentibus. Ferramenta aliquo modo sunt fortia : Equi caput atq; rostrum deorsum inclinant.

47 Frænum figurâ colli anserini cum oliua in vno latere in altero verò cum rota secata, duobus annulis extrà & duobus intrà, brachijs in superiore parte munitum. Est pro Equis qui plus in vnam quám in aliam partem, collum contorquent, difficulter vel ad dextram vel ad siniſtram partem vertuntur. Hac de causa falsum est frænum, vt constringat Equum gyrare in illud latus in quo asperior pars fræni est collocata. Collum anserinum dat linguæ libertatem & rostrũ submittit. Ferramenta sunt ordinaria, antè proiecta, indè retrò parũ declinata.

48 Globus cum apertura figuræ pontis, & tribus annulis extrà, cum annulis et ludibrijs in superiore parte, brachijs etiam adiunctis. Est pro Equo strictas ac altas gingiuas habente : Hac de causa ille pons declinatus rostrum liberum facit, linguam ac buccam recentem efficit. Custodiæ sunt proiectæ ac fortes cũ medio rotundo flore.

49 Mons integer cum reuerso pyro & duobus annulis extrà positis brachijs paruorum annulorum adiunctis, ac catenulis in medio montis. Est pro frisijs & grauioribus Equis, qui fræno incumbunt, ac grauiorem Equitis manũ reddunt, & altum atq; arcatum palatum habent. Ferramenta ante sunt parum declinata, deinde retrò reversa vt rostrum Equus eleuet.

50 Baculus contortus cum monte integro, duabus rotis majoribus & minoribus in latere, brachijs adiunctis, in media verò montis parte tabella imposita, facile ad volvendum cum duabus paruis castaneis inferiori parti affixis more Germanico, quæ tabella ab Italis appellatur trabocco. Est pro Equo carnosam atq; duram buccam altumq; palatum habente.

51 Frænum pignatella dictum, cum brachijs catenularum & duplici monte integro munitum, pyro reuerso & tribus annulis extra positis. Est pro Equo

arcatum

arcatum habente palatum, & ſuper montem linguam tenentem: Cuſtodiæ ſunt breves & fortes, vt roſtrum attrahant.

Scacium imperiali modo fabricatum, & in ſuperiori parte tabella cadente (Trabocco dicta) cum parua nuce ſuprà poſita. Eſt pro Equis qui obdormitam linguam extra buccam tenent. Non multam concedit linguæ libertatem, delectationem affert, et Equis bonam buccam habentibus eam dulciorem efficit. Haſtæ modo moderno ſunt paratæ cum flore ſemicirculari. 52

Pyrum extrà ſecatum, cum pignatella colligatum, & brachijs paruis, annulis munitis. Eſt pro Equis qui lingua frænum non benè perforant, neq; id mandunt: ſuper labijs caſtigatione indigent. Buccam corroborat eamq; clauſam retinet. Cuſtodiæ debent eſſe debiles cum ſemiflore extenſo vt Equi roſtrũ eleuent & ad locum ſuum caput conducant. 53

Medius mons figurâ colli anſerini, cum campana, quæ circulum habet planum, duobus paruis annulis extra brachijs, & parua nuce ſuper montem poſita. Eſt pro Equis delicatas ac debiles gingiuas habentibus ac aliqua caſtigatione indigentibus. Hic mons gingiuas non offendit ſed buccam ſubiectam tenet. Cuſtodiæ ſunt potius debiles quàm fortes, vt moderatè roſtrum attrahant. 54

Baculus duplex integer per totum paruis annulis contextus, & duobus globis munitus in parte interiore. Eſt pro Equo malam ac carnoſam buccam habente. Hac de cauſa globus debet intus buccæ fundum premere, vt molliorẽ reddat buccam. Cuſtodiæ ſunt fortes cum obtuſo & clauſo flore. 55

Lupatum ad evitandam libertatem linguæ, pro Equo ſene malam habentẽ buccam. Cuſtodiæ ſunt breues ac parum debiles. 56

Frænum baſtardum cum catenula menti integra, annulis munita. Eſt pro friſijs Equis malam ac ſiccam buccam habentibus & ad retinendum difficilib9. Mons fræni ſit altus ne ore decidat, quæ Itali vocant traboccare. Cuſtodiæ parentur ſecundum Equi diſpoſitionem. 57

Hic Camus ſeu capezzonum pluribus membris diuiſum cochleis ferreis circum circa munitum, corrigijs in inferiore parte fræno alligatis, catenula etiã roſtrum cingente. Eſt pro Equo reverſum habente collum, maxillas aſtrictas & clauſas, ad caput eius ſubiugandum difficili. Adaptari poteſt Equis iuvenibus, friſijs ac grauioribus, & qui non facilè in vtramq; partem gyrantur. 58

Arundo integer in media parte concauus, cum paruo ac ſubtili arundine in ſuperiori parte loco Sicilianæ, cuſtodia forti, mento limato & lunato. Eſt pro Equo qui capiti nondum eſt firmo, contortam atque indignoſam tenet buccam, roſtrum inſtar Cameli extendit. Roſtrum enim attrahit, caput firmat, buccam corroborat, leuiorem ac obedientiorem Equum reddit. 59

Baculus reuerſo pyro munitus, in quo pons modo pignatellæ paratus, ac latè pyra amplectens propter majorem linguæ libertatem. Eſt pro Equis poſt agitationem bucccam rubeam & indignatam oſtendentibus. Hoc enim fræno levior redditur bucca. Sed animaduertendum eſt fræni ferrum non valdè grave atque plenum, ſed concauum eſſe debere ac leve, ne offendatur os Equi. Cuſtodiæ ſunt aliqua ex parte debiles, cum catenula menti oliuis parata, idque ob barbæ conſeruationem. 60

I. Lupatum ſimplex, arundo dictum, (Italicè Cannon) cum breuioribus ferramentis extenſis. Eſt pro paruis iuuenibus Equis. Hoc enim caput ad firmitudinem reducitur & bucca non offenditur.

II. Frænum cum parva apertura & brachijs adiunctis, applicandum eſt Eqvo, qui linguæ libertatem appetit, & ſimplici fræno Equitis manũ aggravavit. Hoc enim fræno manum ipſius non ita aggravare poterit. Cuſtodiæ ſunt retrò declinatæ cum flore aliquantum extenſo. His caput Equi ad ſuam proportionatam formam reducitur, præſertim quando Equus inſtar vrſi caput demittit.

III. Lupatum apertum pedis Cati figurâ. Eſt pro Equo iinguæ libertatem appetente, ac roſtrum inſtar cameli extendente. Quadratus ille mons contingit buccæ palatum atq; Equi roſtrum ſubmittere facit.

IV. Arundo ſeu Cannon integer, in medio concauus & limatus cnm parva extenſa arundine in ſuperiori parte, loco Sicilianæ poſita. Eſt pro Equo vano ac mobili capite incedente ac delicatam buccam habente. Cuſtodia non eſt fortis neq; debilis ſed moderata Equi caput ad eleuandum conſtringens.

V. Arundo extenſa ac limata, eſt pro Equo vano ac mobili capite incedente, ac moderatam buccæ qualitatem habente.

VI. Scacium quaſi arundo quaſſata inſeruit Equo, fræno aliquo modo incumbenti.

VII. Scacium pedis Cati formam referens cum apertura. Eſt pro Equo linguæ libertatem appetente atq; Equitis manum onerante.

VIII. Scacium cum medio pede Cati. Eſt pro Equo aliqua libertate linguæ indigente & arcatum palatum habente.

IX. Scacium cum vno globulo eleuato intus collocato, & duobus annulis: dat aliquam libertatem linguæ, facit mandere frænum buccam etiam aliquo modo caſtigat, quando Equus eam conduratam habet.

X. Scacium medij pedis Cati formam referens, cum parvo globulo colligato intus. Eſt pro Equo qui durã aliqua ex parte buccam habet, aliqua etiam linguæ libertate indiget.

XI. Campana cum circulo reuerſo & annulo vno in exteriore parte: caſtigantur gingiuæ buccæ, quando aliquo modo ſunt duræ. Concedit etiam hoc frænũ aliquam linguæ libertatem. Haſta eſt declinata vt erigatur roſtrum. Paſtomis ſive catenula menti eſt lunata limata & implumbata, vt barbam ſiccam & macilentam conſeruet.

XII. Oliva cum vno annulo intrà & alio extrà. Eſt pro Equo paruæ buccæ, & gingiuas altas habente.

XIII. Baculus contortus cum globo eleuato rotæ quaſi conſciſſæ ſimili, cum quadrato monte ad ſimilitudinem integri pedis Cati. Eſt pro Equo concauum buccæ fundum ac conduratum altas gingiuas & craſſam linguam habente.

XIIII. Scacium reuerſum cum decliuiore monte quadrato facili ad voluendum. Eſt pro Equo buccæ paruæ, libertatem linguæ appetente, & eleuatas gingiuas, planum ac craſſum palatum habente.

XV. Scacium reuerſum non ligatum, cum ordine paruorum globulorum ſuperius contexto. Eſt pro Equo qui montem in bucca ſufferre non poteſt ob debilitatem palati.

Ordo reticularum formam campanæ referens cum tribus paruis annulis extrà. Eſt pro Equo delicatas gingiuas habente ac labijs ſe á fræno defendẽte. *XVI.*

Lupatum imperiale dictum. Inſeruit Equo paruam buccam, altas gingiuas & linguam ſubtilem habente. *XVII.*

Oliua cum paruo annulo extrà & quadrato monte munita figurâ Pigniatellæ, inſeruit Equo libertate craſſæ linguæ indigente ac delicatas gingiuas habẽte. *XVIII.*

Pyrum reuerſum apertum cum rotundo monte, & ludibrijs in medio poſitis, more Germanico paratum, Eſt pro Equo moderatas gingiuas & altum palatum habente, libertate etiam linguæ indigente. *XIX.*

Lupatum cum conuerſis pyris intus,& paruo annulo in vtraq; parte poſito. Erigit caput, modum tenendi leuem facit, conſeruat gingiuas : pertinet etiam ad Equum non profundam buccam & ſubtilem linguam habentem. *XX.*

Lupatum rectum cum duobus magnis globulis deſuper ſecatis & quatuor extrà ſeſe extendentibus, & cum ſex intus annulis, cum ludibrijs duobus, & ferramentis ſeu cuſtodijs curuatis. Aperit labia, arguit gingiuas, caput exaltat ſuperius. Pertinet ad Equum malam buccam macilentam & minus ſubtilem linguam habentem. *XXI.*

Oliva cum parua apertura, & vno paruo annulo extrà, cum ferramentis fortibus, pertinet ad Equum paruæ ac duræ buccæ, & qui aliquam linguæ libertatem deſiderat, & roſtrum inſtar Cameli extẽdit. *XXII.*

Cannon apertus, figurâ pigniatellæ cum monte facili ad voluendum, paruis annulis munito, & brachijs adiunctis. Eſt pro Equo libertatem linguæ deſiderante, duram aliquo modo buccam habente. *XXIII.*

Lupatum apertum figurâ colli anſerini paratum, cum ludibrio intus tabulato, roticulato, more Germanico, cum melone. Dat libertatem linguæ, arguit impedimenta interiora oris, frangit ceruicem. *XXIV.*

Lupatum rectum copioſè caſtaneatum cum quatuor globulis & copioſo ludibrio. Aperit carnoſa labia, arguit gingiuas, tranſpoſitionem linguæ prohibet. Pertinet ad Equum refractarium, profundam buccam & ſubtilem linguam habentem. *AA*

Lupatum apertum cum collo anſerino & prunis deſuper inſecatis, cũ duobus circulis ſeſe foras oſtendentibus & triplici ludibrio, & ferramento ſeu cuſtodia recta more polonico. Labia aperit, liberam linguam facit, iucundam acceptionem in ore porrigit, affringit ceruicem, & liberum modum tenendi Equũ bonam buccam habentem efficit. *BB*

Lupatum apertum cum collo anſerino, cum duobus piſtellis, & cum ferramento breui contorto, modo quo Perſæ vtuntur. Dat libertatem linguæ, labia aperit ſubtilia, roſtrum ſubiugat, & leviorem reddit Equi buccam. *CC*

Lupatum integrum Hiſpanicum cum collo anſerino copioſo, integra catenula, & circulis loco ludibrij tranſuerſis, ferramento brevi incurvato, cum copioſa aure vertibili. Huius lupati vſus propter ſplendorem moris Hiſpanorum ratione aliquorum ludorum magis, quam propter aliquam aliam neceſſitatem habetur. Nam adaptari poteſt labijs Equi abſq; corrigijs & ornamentis. Vtile autem eſt Eqvis per ciuitatem incedentibus. Sed animaduertendum eſt, *DD*

vt Equus

vt Equus conſtitutam habeat buccam, firmo ſit capite, benè inſtructus & valdè patiens.

EE Lupatum rectum cum ferramentis exteſſerato, copioſo in modum litera, S. ſimplici more polonorum, cum duabus oliuis planis, æqualibus factum, & in quolibet latere annulum vnum habens, cum catenula circulari communi in ſuperiori parte. Conuenit in vnumquodque os mitis & delicati Equi propter equitationem leuem.

FF Primum frænum imponendum ori iuvenis Equi, quod, Cannon Calabricus vocatur. Cuſtodiæ ſeu ferramenta debent eſſe longa ac directa. Hoc lupato bucca Equi non corrumpitur atq; ad firmitudinem caput eius cõducit, inque diſciplina obedientem ac patientem efficit.

GG Iſta tria præſentia fræna concedunt Equo libertatem linguæ, ſine palati ac gingiuarum offenſione. Quæ potius in buccæ fundo quam ſuper gingiuis operationem ac caſtigationem afferunt.

HH Frænum Turcicum cum duobus paruis oliuis munitum. Hoc fræno cum maiori capitis libertate Equus agitatur, & in currendo velocior exiſtit. Sed tali orea Equi ſæpè capitis firmitudinem amittunt.

II. Lupatum apertum ſine ligatura ad dandam linguæ libertatem paratum & ſine palati offenſione, cum integra catenula menti munitum & fræno inſertum cum altera etiam paſtome ſeu catenula menti ordinaria, cuſtodijs annexa. Applicatur vt Equus caſtigationem potius ſentiat ſuper barba quàm bucca: ob oris debilitatem.

KK Lupatum Perſicum q. modo Turcico paratum ad liberum motum Equo concedendum. Eſt ſatis commodum ac pulcrum, ſed Equis bene capite firmis, tantum adaptari debet, & ijs qui elegans, agile & proportionatum corpus habeat.

LL Paſtomis integra, ovata, limata. Eſt pro Equo barbam ſiccam atq; ſubtilem habente. Quæ vocatur ab Italis ſfuſata. Hæc ſemper in ſuo loco ordinario barbæ fixa atque immota remanet. Inſeruit Equis qui menti catenulam deſuper attrahunt.

MM Camus ſeu canapus ordinarius ferreis catenulis munitꝰ. Hoc primũ iacitur fũdamentum in domandis Equis: Deinde inſeruit ſimul cum arundine & alijs frænis in inſtruendis & adperfectam diſciplinam reducendis Equis.

NN Camus rotundus, contortus. Eſt pro Equis capite nondum firmis, ac vanos in agitatione ſeſe exhibent.

OO Camus integer ſecatus ad ſimilitudinem rotundorum dentium. Eſt pro Equis durum roſtrum ac collum habentibus. Hoc facilè ad obedientiam cõpelluntur.

a Hoc frænum labia aperit, gingivas arguit, linguam continet intus, exerere prohibet, caput exaltat, modum leuem tenendi facit.

b Frænum apertum cum collo anſerino in ſuperiori parte, plenum circulis cũ duobus globulis: libertatem linguæ tribuit, frangit gingiuas, modum tenendi leuem diſponit. Convenit Equis altos dentes habentibus, qui vocantur dentes columellarij.

Hoc fræ-

Hoc frænum propriè competit Equis qui nimis exertam linguam ſibi conciliant. Modum tenendi levem facit. Parui momenti frænum eſt: ad exercendũ tantum Equum & ad agitationem levem. *e*

Hoc eiuſdem poteſtatis eſt, ſicut antèpoſitũ in continenda lingua, ſed buccã Equo dilaniatam facit & deformem aſpectum inducit. *d*

Frænum apertum cum tranſuerſa phalangulata, cum duobus globulis, ceruicem affringit, arguit gingivas, linguam continet. Equo refractario competit. *c*

Frænum apertum cum collo anſerino, habens pyra tranſuerſa. Libertatem concedit linguæ, cervicem affringit, arguit gingiuas, leuem modũ tenendi facit. *f*

Frænum integrum ex perticis circularibus à media parte apertũ, libertatẽ linguæ facit, aperit labia carnoſa, ſpumam generat in ore, incuruare roſtrum non permittit, levem tenendi modum facit. Competit Equis malam & macilentam buccam habentibus. *g*

Frænum excauatum tranſuerſum volubile, cum planta gallinæ & collateralibus catenulis circularibus, gingiuas arguit, linguam liberat, ſed buccam dilacerat, propterea minus decoris habet. *h*

Scacium ſimplex apertum integrum modo imperiali, cum perticis circularibus & ligamento in medio, in cuius medietate vna roticula deſuper inſecata & ab vtraq; parte binæ roticulæ minoris quantitatis. Aperit labia, & ſi linguæ libertatem concedit, tamen totam linguam exerere non permittit. Pertinet ad Equum bonam buccam & ſubtilem linguam habentem. *i*

Frænum apertum cum pede Cati, cum duobus pyris, et tribus roticulis in quolibet latere ſeſe foris oſtendentibus, & intus una roticula. Arguit gingiuas, labia aperit, liberam linguam facit, pertinet ad Equũ malam buccã habentem. *k*

Frænum apertum cum pede Cati, cum duabus lagenis, aperit labia carnoſa, dat libertatem linguæ, frangit caput, levem tenendi modum facit. *l*

Frænum apertum cum pede Cati & tribus inferiùs & tribus ſuperiùs roticulis, eandem vim habet, quàm & priora. *m*

Frænum apertum cum planta galli, cum duabus olivis & decem roticulis. Liberat linguam, tremorem & agitationem, capitis abducit. Conducibile eſt vnicuiq; Equo ſubtilia labia & gingiuas habenti. *n*

Frænum rectum cum copioſa caſtanea, & in illa copioſè roticulæ, caput erigit, interna impedimenta in ore arguit, ſed linguæ nullam præbet libertatem. *o*

Scacium apertum cum binis roticulis, temperatam libertatem dat linguæ: caput erigit, arguit gingiuas, buccam agibilem facit. Convenit Equo temperatũ os habenti. *p*

Frænum integrum cum phalangulis incuruatis, cum majoribus & minoribus roticulis, Libertatem linguæ dat moderatam, groſſa labia aperit, erigit caput, incuruare prohibet buccam. Conuenit Equo temerariã buccam habẽti. *q*

Frænum apertum cum duobus globulis intus verſus linguam cum Cati pede, conſtrictam libertatem linguæ dat. Caput & ceruicem ſubmittit, arguit gingiuas, modum tenendi levem facit. Competit Equis Turcicis altè caput geſtantibus. *r*

Frænum rectum cum globulis formam mixtam, eſtremitales acutas, medietatem verò rotundam præ ſe ferentibus, & à foris cum quatuor roticulis & intus cum *ſ*

tus cum duabus, labia & eorum carnositatem auertit. Erigit caput, moderatam linguæ libertatem dat, modum tenendi levem efficit- Hoc frænum vnicuique convenit Equo bonam buccam habenti.

Frænum rectum totum ex roticulis planis, limatis & politis volubilibus, ex maioribus in medio & ex minoribus à lateribus factum. Erigit caput, iucundum & levem tenendi modum facit. Pertinet ad Equos bonas buccas habẽtes.

v Frænum apertum cum pede Cati, cum quinq; roticulis desuper secatis ab vnoquoq; latere, demanantibus ad modum campanæ. Auertit carnositatem labiorum, arguit gingiuas, libertatem confert linguæ, generat spumam in ore, & modum leuem tenendi facit.

x Frænum cum rectis phalangulis, cum demissione aliarũ ad inferiorem partem, cum roticulis ab vtraque parte. Pertinet ad Equos nimis exertas linguas gestantes.

y Frænum rectum ex duobus pyris cælatis cum roticula ab vnaquaque parte hærente, & cum catenula de superiori parte circulari, nucem in medio habente, Labia aperit, & eorum carnositatem auertit, erigit caput. Pertinet ad Equum refractarium

z Frænum rectum ex globulis tesseratis, ferentibus se ad medietatem cum catenula cum ijsdem globulis tesseratis. Continet linguam, generat spumam, mollem tenendi modum facit. Competit Equo bonam buccam habenti.

Frænum integrũ ex duabus perticibus sese agitantibus in medio, benè ferramento adaptatum clausum, optimeque roboratum, cum catenula desuper, Continet linguam intus, levem tenendi modum tribuit.

Frænum rectum ex quatuor copiosis, limatis, planitiosisq; oliuis, vnaquæq; oliuæ extremitas per vnã roticulã pro tempore erigit caput, & pro tempore frãgit. Equis delicatis & supra modũ liberam buccam habentibus conducibile est.

Frænum apertum cum pede Cati, cum duobus globulis & vna catenula foris, ex vtraq; parte cum catenula desuper circulari. Aperit labia, & internam carnositatem auertit, arguit gingivas, libertatem tribuit linguæ, rostrum submittit, levem tenendi modum confert.

Frænum apertum cum pede Cati, & duabus campanulis circularibus perforatis, propter salis adhibitionem loco globulorum. Libertatem tribuit linguæ, aperit labia, modum tenendi levem facit, conducit Equo macilento & duram buccam habenti.

BREVIS

BREVIS ADMONITIO.

DE FRÆNIS TEMPORE BELLI EQVIS IMPONENDIS, ac primum de ijs, quibus levis a natura homines vti debent.

SI QVISQVAM EST, QVI SIBI PERSVASVM habet, Equos buccam ex ferro vel chalybe confectam habere: vel eius vigorem aut ferociam frænis asperioribus retineri aut coerceri posse: Ille toto coelo aberrabit. Bucca enim Equi omnium partium, quas natura ei concessit, debilissima ac delicatissima est. Quò ergo durius atq; asperius frænum buccæ eius imponitur, eò magis ea offenditur, Equus verò in præcipitium ruit. Ab hac offensione ac laceratione buccæ, dũ animal cibum capere nequit, debilitas quædam atq; infirmitas cum vitæ interdum periculo coniuncta, sæpe oritur. Aduertendum igitur est, quod sicut homo omnium reliquorum animantium Dominus, ad domandum Equum rostrũ eius fune ligavit vel circundedit: Sic, quo facilius animal hoc fortissimum regeret, ferrum, materiam fortissimam buccæ eius ceu parti debiliori imponere, tutius consultiusq; putavit. Quapropter benè considerandum est, quodnã ferri genus (frænum vulgò appellatum) nobilissimo huic animali socio ac amico militis tam fideli, applicandum atq; imponendum sit.

Mea quidem sententia, ex tot frænorum generibus quatuor tantum eligẽda esse iudico, quibus levis armaturæ homo (siue ille sit Sclopetarius, siue sagittarius) ad Equum frænandum vti possit. Qualia sunt Cannon simplex, Scaccium simplex, Oliva aliquo modo densa & Campana. Hæc siquidem omnia buccã nõ offendunt, Equum subiectum ac obedientem reddunt. Quod si ob linguæ crassitudinem frænum mandere Equus impediatur, aut super frænũ eam exerat, quatuor tunc fræna enumerata aperiri possunt, vt pigniatellæ figuram repræsentent, sicut ex tractatu nostro apparet.

Custodiæ seu ferramenta sint brevia. Quo enim breuiora erunt, Equo in bibendo minus molestiæ atque impedimenti afferent. Quantum etiam fieri potest, fræna hæc levia sint, non ita ferro plena ac ponderosa. Talia enim in itinere faciendo Equum multò liberiorẽ agiliorem, magisque dispositum efficiunt. Qua in parte imitandi sunt Vngari, Poloni, Persæ, Turcæ, Moscovitæ, aliique bellicosi populi: qui sine offensione buccæ Equi integrum diem noctemque Equo insidentes, si occasio ita fert, amplissimas regiones cum Equorum suorũ libertate peragrant, easque depopulantur. Huius modi etiam leuis armaturæ Equis & ad excursiones faciendas idoneis, corrigia rostri (musarola Italicè vocata) nimium non astringatur. Rostro enim nimis non astricto, Equi in omni expeditione fortiores atq; expeditiores euadunt. Vnde patet, quanto in errore versentur illi, qui omnibus indifferenter Equis, cuiuscunq; etiam generis sint, hanc rostri corrigiam astringendam esse autumant. In cognoscendis enim

effectibus operationum Equorum rudes se atque inexpertos esse, re ipsa ostendunt. Quod tamen de grauioris armaturæ Equis minimè intellectum volumus: his enim rostri corrigiam astringendam esse vltrò concedimus. Nam in conflictu ac pugna tam equitibus quàm peditibus, ceu murus quidam, loco præsidij sunt atq; defensionis. Horum, cum ad resistendum hosti, tum ad aciem eius rumpendam in bello maximus vsus est: vt ordine hoc modo perturbato reliquiæ Equorum levis armaturæ hostem posteà insequantur. Quas excursiones, sicut levis armaturæ Equi, illi facere non possunt: nisi equitibus mutare Equos ijsque defatigatis alios recentiores substituere placuerit.

PRO EQVIS, HOMINVM GRAVIS ARMATVRÆ, QVI VULGO Cataphracti dicuntur.

CATAPHRACTI SEV GRAVIS ARMATVRÆ homines, sicut pro vsu suo ac commoditate, præstantiores, fortiores ac grandiores Equos eligere debent: Sic illis major quoq; cura ac diligentia in ijs tractandis adhibenda est. Pro duobus ergo, quibꝰ vtuntur, Equis, duobus etiam, pro vnoquoq; Equo, frænorum generibus opus habent. Vno quo in itinere faciendo: atq; exercendo Equo: altero verò quo in pugna ac conflictu cum hoste vtantur. Primum pro vsu ordinario sit frænum simplex: alterum verò tempore pugnæ, sit frænum operatiuum, ab Italis briglia di lauoro, dictum. Frænum simplex, vti diximus, intelligitur Cannon, Scacium, Oliva, Campanula. Operatiuum cum vni exprædictis (si Equus fræno non admodum pareret) additur globulus, circulus eleuatus, (ab Itallis fallo liteuato nominatus) aliquod brachium vel mons: idque vt maiori cum obedientia in eiusmodi expeditionibus equiti suo pareat, nec manum eius aggrauet. Custodiæ pro eiusmodi Equis, more Italico, sint extensæ ad longitudinem manus hominis, vt capite firmò, nec vacillante incedant. Quæ regula, de Equorum capitibus ad firmitudinem reducendis, ac custodiarum proportione iusta, obseruanda quoq; est in frænandis Equis, quibus animi causa lento gradu per ciuitatem incedentes, vtimur, vt maiori cum subiectione atq; elegantia gradum suum dirigant. Idq; non tantum de grandioribus sed cuiuscunq; etiam generis Equis notatum ac obseruatum volumus, corrigiâ quoq; rostri communiter benè astrictâ.

ADMONITIO, DE EQVIS BENE FRÆNANDIS, PRINCIPI AC *Duci exercitus valdè necessaria.*

DVBIVM NON EST, ARTEM EQVITANDI AC frænandi Equos, magno labore atq; industria successu temporis inventam: ab ijs verò qui Principum seruitio destinati fuerunt, perceptam demum atq; cognitam fuisse: vt Equus qui Domino suo in vitæ ac honoris periculo parere cogitur, salvum eum ac victoriosũ redderet.

redderet. Vnde ad reducendũ hoc generoſiſſimum ánimal ad veram cum corporis tùm oris obedientiam, in eo non mediocris cura ac diligentia ab Equorũ domitoribus ſemper fuit poſita. Equus igitur, quo Princeps in bello vti cupit, corpore ſit grandior, membris benè compoſitus ac ſignatus, corde ſyncerus, voluntate atq; animo promptus, fortis, diſpoſitus, agilis, manum non aggrauans, probè inſtructus & fortunatus. In conflictu enim atq; prælio Equus grandior valore ac vigore, reliquos ita antecellit: ſicut in pugna auium quæ alis atque vngulis fieri aſſolet, aquila gyrando ac volando reliquas aues omnes antecedit. Quemadmodum autem ab Equo grandiore magnum beneficium accipitur: ſic in eo domando atq; inſtruendo maior ars atq; ſcientia requiritur, cum ob corporis machinam quam ſuſtinet maioribus viribus prævaleat, ac propterea domitori ſuo magis reſiſtere poſſit. Talis verò Equus vbi ad obedientiam reductus eſt: in omni operatione bona minoribus Equis ſtabilior ac valentior exiſtit. In ijs ergo frænandis magna dexteritate opus eſt. Primùm ergo neceſſe eſt vt capite ſit firmus, arcum ac collum proportionatum habeat, frænum libẽter recipiat, neq; ita incumbat, vt equitis manum in conducendo eo attrahat vel aggrauet. Id ſi fieri debet, requiruntur cuſtodiæ, quæ ordinariam longitudinem manus hominis ad duorum digitorum ſpacium excedant. Lupatum itidem, buccæ qualitati ſit conforme: canalis tamen, gingivæ, palati, labiorum, linguæ ac barbæ accurata ratione habita. Quod ſi lupatum buccæ eius reſpondebrit: in continuo ac frequenti exercitio tum conſeruandus erit, fræno tamen dulciori ac ſimpliciori, quàm primum fuerat, ei impoſito, idq;, ne primo fræno nimium aſſueſcat atq; adeo ſecurus reddatur. Frænum etiam eiuſmodi grandioribus Equis applicandum ſit forte: cuſtodiæ ferro plenæ ac benè limatæ: vt & lupatum, paſtomis, haſta & vncus. Ac vt rem omnem paucis complectar, omnia debita menſura ac proportione ita inter ſe cohæreant, ſibiq; mutuò reſpondeant, vt eques hunc ſuum generoſum Equum conſcendens, ac ad corporis habitudinem atque ornamenta oculos conuertens, maximè verò caput eius intuens, Equum benè frænatum eſſe, magnaq; cum iucunditate eum lupatum mandere ſentiat, vt egregius ac præſtans eques, Equo tam generoſo ac nobili inſidens, factis ſuis præclaris gloriæ atque immortalitatis nomen ſibi perpetuò acquirat.

PALLADE DVCE CONCVLCATVR MOMVS.